



The Holy See

IOANNES PP. XXIII

LITTERAE APOSTOLICAE

SOLACIUM AC LEVATIONEM

ECCLESIA B. MARIAE V.,

VULGO « NUESTRA SENORA DE LA CONSOLACIÓN » APPELLATAE, IN URBE TARIBA,
DIOECESIS S. CHRISTOPHORI IN VENETIOLA,
PRIVILEGIIS BASILICAE MINORIS HONESTATUR

Ad perpetuam rei memoriam. — Solacium ac levationem Beatissima Virgo Maria, quam Deus miserentissimus hominum familiae Matrem constituit, nullo non tempore supplicibus impertit inexhausta cum caritate. Hoc persentientes, incolae urbis Taribae, quae finibus dioecesis Sancti Christophori in Venetiola continetur, sacrarium, Almae Deiparae, cui vulgo nomen « Nuestra Senora de la Consolación », ibidem dedicatum, piis concursibus celebrant. Quod quidem studium latius pervasit, ita ut templum illud sedes praecipua religionis effectum sit totius dioecesis, quam diximus. Rebus enim in secundis et adversis Christifideles undique eo confluent, coetusque eodem congregantur quasi ad fontem principem et uberrimum, ex quo lymphae salutare non intermisso fluxu desiliunt. Quo in sacrario propositum est eiusdem caelestis solatricis praeclarissimum simulacrum, quod primum ab Evangelii praeconibus allatum est, qui Christi vexilla explicaturi in eam regionem advenerant. Prodigiālem etiam hanc imaginem esse rerum gestarum memoria et fidelium, eximiis muneribus supernis eumulatorum, consensu probatur. Templum praeterea molis amplitudine commendatur cultuque renidet vario iisque affatim est instructum rebus, quae ad divinorum rituum decorem plebisque spirituale commodum pertinent. Haec omnia reputans cum animo, Venerabilis Frater Alexander Fernández-Feo Tinoco, Episcopus Sancti Christophori in Venetiola, Nos rogavit, ut templum, tot laudibus insigne, Basilicae Minoris nomine ac iure donaremus. Quibus precibus libenti animo admissis, Nos, ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum ecclesiam, Deo in honorem

Beatae Mariae Virginis, vulgo « Nuestra Senora de la Consolación » nuncupatae, in urbe Tariba, intra fines dioecesis Sancti Christophori in Venetiola, consecratam, ad honorem ac dignitatem Basilicae Minoris evehimus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis, quae templis eodem nomine appellatis rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Roma, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIII mensis Octobris, anno MDCCCCLVIII, Pontificatus Nostri primo.

D. Card. TARDINI
a publicis Ecclesiae negotiis